



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.XI. Sancti Patris Benedicti. M.CXXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

*Nicolaus le Franc Abb. Latiensis.*  
 coctus infirmitatibus Nicolaus leFranc Abbas Lætiensis meritisissimus, verè ubi-  
 bis latus in adversis, qui arctis quantumvis rebus sibi tamen suisque de necessarijs quasi detrahens in pauperes omnia effundebat. Is minima quavis statuta Ordinis ad amissim exacta & servata voluit, verè sæculo mortuus, cum omnia sæculi confortia vitaret, cumque suis non aliter atque minimus omnium viveret.

*IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XI.  
 Sancti Patris Benedicti. M. CXXXI.*

*E. Natalis Mars mon. Turonensis.*  
**I**llustrissimum Gallia Sydus hoc Anno cœlis inscribitur Beatissima memoria Natalis Mars, Majoris Monasterij prope Turones Monachus, sæculi nostri singulare ornamentum. Hic Gallus natione, Aurelianensis patria, à puero litterarum adhibitus studijs, in alma Parisiorum Urbe, in Divinis æquè atque humanis litteris excelluit, atque ibidem Gradum Licentiatu in Theologia accepit. Verum inanitatem mundi in tot considerans vanitatibus, solius Numinis servitio consecrare se statuit, & paulo post ad Majus se conferens Monasterium, S. P. N. Benedicti complexus Regulam, reddere, quod voverat, firmiter proposuit. Regulae proin ejusdem non in Monasterio solum, sed & extra cum Parisijs in Collegio ejusdem Monasterij resideret, observantissimus, nihil quidquam sine licentia Superioris dicti Collegij accipiebat, donec ad Monasterium suum se reciperet. Sed cupiens Regulam Sanctissimi Patris sui ad amissim observare, cum aliquot Monachis ejusdem Cœnobij, contulit se ad Prioratum Sancti Maglorij de Leonio in Minore Britannia, ubi Societatis Britannicæ fundamenta jecit, quæ Auctoritate Urbani VIII. Pontificis Maximi coaluit postea in Congregationem Sancti Mauri, in Comitijs Generalibus Ejusdem Congregationis, quæ habita sunt in festo Exaltationis S. Crucis, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, in Cœnobio S. Trinitatis de Vindocino. Fuit Natalis austerioris vitæ, Carnem macerabat cilicio, quod pene totum ejus corpus tegebat. Fuit singularis patientiæ, diutissimè acerbissima iliorum tormina patientissimè ferens, quæ il-

lum etiam à Missa celebranda, & Divino officio, non prohibere poterant. Fuit Prior Monasterij de Trougheto in Minore Britannia; cujus verba nihil nisi DEI amorem sonabant. Fuit insignis Verbi Divini præco, quo in munere, ut etiam in Confessionibus audiendis, multos è vitiorum sentina eduxit. Obijt anno 1611. satis juvenis, ætatis nimirum suæ, trigesimo quinto. Sepultusque est in Ecclesia dicti Prioratus S. Maglorij. Ad cujus tumulum multus fit populi concussus, ob sanitarum gratiam, quam DEUS, cum invocantibus conferre solet. Ejus corpus post aliquot annos effossum integrum & sine ulla corruptione inventum est. Ita ut hoc etiam novissimo tempore, in hoc novæ Congregationis Institutore, sanctissimum Legis latorem nostrum, in suis restituto cui ipse servierat Spiritu, intueamus, in Natali autem *Benedictus* verè *Redivivus* comprobetur. *Ex Vita, per Hug. Menardū.*

Piè vita functus est hoc ipso anno 1611. Venerabilis Pater Bernardus Colnagus celeberrimæ Societatis Jesu Presbyter sanctimonix & doctrina laude celebrer, qui à Benedictinis, ut ipsi fatebatur, non uno in loco beneficia memoratu dignissima acceperat. Specimen è multis memorabile hoc imprimis: Cognoverat in Sylva quadam solitariam degere sanctimonix fama clarum ex Divi Benedicti Patris familia, qui Christi patientis in corde penas expertus immensis lanietetur doloribus: quem familiaris sibi lucrandum ratus, convenire non distulit & amicissimum nactus, remque plenius edoctus tantæ gratiæ admiratione accensus instantissimis precibus pulsare non desijt, donec idem sibi prædictus Pater à Numine impetraret. Impetravit, & ita quidem ut & ipse, tantorum particeps fieret dolorum, adeoque & meritorum. Quotiescunque proin ipsi concionanti de Pallione Domini sermo fuit, sexta quaque feria acerbissimum in latere cruciatum, & lethiferos in corde dolores per sensit, haud secus ac si lancea perfosset, immànè vulnus accepisset. Crescebat autem dolor præ magnitudine fervoris. Neque tunc solum sed quoties etiam Sacris operatus esset, cor sibi comprimifindique fontebat. Inde quoties ab altari

*Miraculum  
 rum gloriæ  
 celebr.*

*Corpus in  
 corruptum.*

*Ven. Bernardus  
 Colnagus  
 Soc. P. P.*

*Miraculum  
 gloriæ  
 Benedictini.*

*Miraculum  
 gloriæ  
 citati.*

*Concessio  
 gratiæ.*

altari digressus est, ad mortem usque torqueri sentiens, amicorum fidelissimo per laepe dixit: *Disimulo ego quidem, sed sentio me mori.* Deinde ad DEUM conversus: *Si mori me vis Domine inquit, moriar.* Negabant Medici cum dolore dolorisque Principia naturae describenda, ipse verò non nescius, unde originem traherent, non querebat medicinam, pro medicamine illi erat, liquidissima voluptas quae dolore abscedente, animum non minore gaudio implebat, quam doloris tormento confixerat. *Fit Paulinus in Vita Bernardi.*

Transijt hoc eodem anno, & anni initio, Tertio Nonas Januarij, ad sedes & gloriam Beatorum Venerabilis Pater F. Godiferus, à S. Mauro cognominatus, verè florentissimum Galliarum Regni lilium, in Paradyso Emphyreo inserendum. Is Gallus natione, professione Monachus, Magni illius Barrerij Fuliensium institutoris in florentissimo illo Reformationis Archisterio discipulus, imò sacri rigoris piissimus & ferventissimus æmulus, incredibili severitate corpus excrucians, in illud solidioris poenitentiae studio ita sæviebat, ut ad multam usque sanguinis effusionem disciplinas protraheret. Sacris prius operari non consuevit, quam horam integram & amplius ante Crucifixi imaginem, prostratus, in contemplatione tanti Mysterij affectum accendisset. Ut autem rigidus sibi, sic in proximos humanus & beneficus existens, ægrotos maxime & agonizantes, maxima charitate, & ferventissimis exhortationibus excoxit; quibus omnibus desiderium vitae aeternae & dissolutionis à corpore altius impressit. Vita excessit hoc anno, & quem diximus, die, Burdigalæ Biturigum Vibiscorum ad Garumnam metropoli; cuius ibidem sacrum corpus requiescit. *Ex R. P. Philippo Malabayla & Carolo à S. MARIA.*

Invalescit viris ac viribus Generosissima, Apostolicae functionis, Praedicationisque in gentibus, Congregatio Benedictina Anglica, aeternaturo de Regno Angliae merito & studio Monachorum aeternis saeculis commendando, eademque hoc anno legibus optimis fulcitur, atque sequente anno solemniter à Paulo V. Pontifice Ma-

ximo approbatur, confirmatur & commendatur. Celebrantur ex diversis Hispaniae atque Italiae Congregationis Monachis, viri Religiosissimi & doctissimi, qui Spiritu DEI impulsis certatim eidem sanctissimae Missioni nomen dantes, se veras & ultroneas Christi victimas pro gloria Numinis & salute populi atque Regni Anglicani, ultro & sponte in Sacrificium obrulere. Illos inter, non minimi nominis fuerunt Reverendi Patres ac Fratres: Anselmus de Manceltria Casinensis; Augustinus de S. Joanne Hispanus; Robertus Sadlerus; Thomas Praestonus, Hilus Hispanus, &c. *Legendus fuscò omnia persequens Reimerus noster in App. p. 1.*

Etiã Germania nostra frigidissimo hoc saeculo & solo flosculum insignem transmittit Paradyso Domini, praesenti anno, Elisabetham de Castello, Praenobili & antiquo genere, Mayrungenis haud procul Fryburgo Vchlandiae, Cænobij Professam; quae ut Virginitatem suam non solum, sed se totam Numini devoveret, juvenili aetate jugum Domini amplexa sacrum, Tyrocinium mira alacritate subiit, & vero etiam virili certamine Victrix, cum eam praestanti nobilitate Vir conjugem exambiret, & ante Monachicam vitae professionem, varijs modis & artibus tentaret, constantissimè respuit, ad unum sese toto corde convertens, à quo sanctissimis amoris illicitis castissimè rapiebatur. Inde Votis solemniter emissis, omnibus sese sanctitatis exercitijs dedit, humilitate, patientia, obedientia, orationis studio, & rigida Vita austeritate, cæteris sororibus omnibus facem illustrem praeferebat. Tandem plurimis atrita infirmitatibus, easdem ad mortem usque patientissimè tolerans, mira spiritus alacritate, in amplexus Christi sponsi felicem animam exhalavit. quarto Iduum Januarij. Numine quam primum merita ejus declarante, cum positum in feretro Virgineum corpusculum, suavissimum odorem, non solum per templum & Monasterium, sed etiam extra terminos Monasterij late effunderet, summa omnium cum admiratione; Referente hæc praesentissimo teste Reverendissimo Wilhelmo Altræ Ripæ Abbate, qui ejus vitam descripsit, ipseque eam inhymavit.

A a 2

Ne

Viri illustres.

V. Elisabetha de Castello monialis.

Viri tentata uni Deo adhaerent.

Prodigiose à morte fragrantia.

F. Godiferus à S. Mauro.

Ægrotorum consolator insignis.

Legibus roboratur Congregatio Anglica.

Ne absque purpura etiam gloriosissimi Martyrij hic annus esset, nobilitarunt eundem generosissimo agone duo spectatissimi ex Ordine Benedictino pugiles, viri venerandi Nicolaus Sadierus & Nicolaus Huttonus, quos Rex in memor fidelium monitorum vitæque atque exempli sanctissimæ Martyris & Matris suæ, in eadem, etsi alio falsissimo prætextu, decapitatæ causâ, ob constantissimam unicè salvantis Fidei defensionem, in vincula rapi, arctè haberi, rigidè examinari, & capitali sententia ad mortem condemnari iussit. De his *Joannes Molanus Corægensis in Epitome de Martyribus Angliæ.*

Superiore anno decesserat Præsul eximius meritis, & unustomo integro dignus Jacobus Delrio Abbas de Bodeloo incomparabilis, quem celebrantes expectavimus oculatorum, testimonium, donec Epitaphium ponerent, ne nos multum dixisse videremur. Sequens posuere:

*Abbatum Exemplum, specimen Venerabile morum,*

*Spes inopum, Fidei splendor, honoris honor*

*Et Patriæ communis Amor, verè aur ea prisca*

*Vena boni, & Rivus perpetua uber opis.*

*Quæ Delrio tibi simul omnia confluxere.*

*Omnia nunc tecum, tot periere bona.*

*Aut potius calum tecum subiere petente*

*Omnia, ut Oceanum flumina prona petunt.*

Jta laudasse satis duximus, simul & parentasse. *Ex Monumentis Bodelooensibus.*

**IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XII.**

*Sancti Patris Benedicti. M. C. XXXII.*

**S**Ummo Romanæ Ecclesiæ totiusque Regni Gallici luctu, valedicit hoc anno mortalibus, Eminentissimus sacra Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, nec non Lexoviensis & Metensis Cathedralium Ecclesiarum, Episcopus Dominus Annas ab Escars, sacra purpura ornamentum singulare, Princeps omni laude major, verus ovium suarum pastor, pauperum omnium pater, afflictorum consolator, tantus omnino talisque vir, qui propter evidentia sanctitatis signa, pro miraculo omnino & ab omnibus haberetur. Decessit religiosissimè in Castro suo Principali, cognomine Vic; post sumptio-

nem omnium SS. Ecclesiæ Sacramentorum, & post Benedictionem tanquam alter Patriarcha Jacob omnibus domesticis suis datam, in felicissimum somnum sanctè resolutus die 19. Aprilis hujus anni, hora octava Matutina, inexplicabili omnium luctu deploratus, à puero, ad supremam usque ætatem, omnibus amabilis, de cujus jam grandævî senectâ, ipso perfamiliariter usus illustrissimus Gaspar. Scioppius *cum summa prudentia, inquit, eam ipsam omnibus probabat innocentiam, in qua S. BENEDICTI habitum, non plus octo annos natus susceperat.* Laudatus fuit oratione funebri ab Andrea Valoderio, postea S. Arnulphi Abbate, cujus mortis annus hoc numerali carmine indicatur:

LaVs pla pVrpVrel CæVs CLaV-  
strlqVe CoLVMna

Anno hIC eXpresso GiVrIVs astra  
petit.

Demeruit plurimum, nostrorum antiqua consuetudine, novum in Gallijs Sancti Francisci de Paula Minimorum Ordinem, cujus Alumnos paternè fovit, quique sub ejus auspicijs insignis Metis Cænobium condiderunt. Corpus ejus fuit Metas allatum 26. diei mensis Aprilis, & depositum in Ecclesia S. Maximini, postera vero die 27. scilicet, fuit à toto clero inde translatum quàm solemnissimè, & in ea sepultum. Magnificentiâ sepultura, respondit magnificentia receptionis & introductionis. Mausoleum spectatur in Sacello, quod est retro altare majus, è præstantissimi generis marmore, cum representatione sculpta ipsius personæ, & sequenti Epitaphio:

*PIIS MANIBUS ÆTERNÆ MEMORIE plorabile busto, Antistitis desideratissimi, omni ævo retro dolendi*

*Anne d' Escars Tit. S. Susanne S. R. E. Præsbyteri Cardinalis de Guiry nuncupati, qui paterna indole, clara familia d' Escars, materna prosapia prime Longoviorum Nobilitatis, egregia Principum Aurelianensium consanguinitate, infelicissimo sæculo, feliciter Ecclesiæ datus, Parisijs editus, Divione in antiquissimo Divi Benigni Cænobio, Sancti BENEDICTI disciplina institutus, professusque, indidem Abbas, tum Lexoviorum Antistes electus, 10-*

Jacobus  
Del- Rio  
Abbas de  
Bodeloo.

Epitaphium  
ejusdem.

Ven. Annas  
d' Escars S.  
R. E. Card.  
meritur.

Figura  
encomium.

S. Pauli  
Minimo-  
rum Ordo  
ab ipso pri-  
motus.

Epitaphium  
tanti  
Cardinalis.